



**Processus Juridicus contra sagas & veneficos, Das ist:
Rechtlicher Proceß/ Wie man gegen Unholdten vnd
Zauberische Personen verfahren soll**

Goehausen, Hermann

Rintelii ad Visurgium, 1630

VI. De vero intellectu Can. Episcopi 26.q.5. & an ex eo probari possit,
sæpius quo ad corporalem delatione[m] deludi Sagas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64982)

QUÆSTIO VI.

De vero intellectu Can. Episcopi
26. q. 5. & an ex eo probari possit, Sæ-
pius quoad corporalem delationem
deludi Sagas?

ITa existimat Tannerus ad p. 1. S. Thomæ
q. 110. art. 3. q. 3. n. 13. in fin. ubi ait, quod
sæpius hac in re deludantur Sagæ, quam
verè transferantur, hoc etiam probat au-
thoritas citati Canonis, in quo idem etsi
non definitur, tamen supponitur, Videamus
ergò de sensu & verò intellectu istius
Canonis; equidem tantò magis, quod eo
tanquam telo Achilleo utantur adver-
sarii, & quamvis illi alias Canonum au-
toritatem valdè extenuent, nihiliq; ferè
faciant, attamen quoad hosce conven-
tus eludendos ad hunc Canonem audaci-
simmè provocant: dixi aliquid de illius
sensu & explicatione in q. preced. 4. sed
non satis.

Verba autem Canonis ita habent: *Episcopi eorumq; ministri, omnibus modis elab-*
G 3 *borat-*

102 *Qu. VI. De verò intellectu. Can. Epif.*
borare studeant, ut perniciosam, & à Diabolo
inventam sortilegam magicam artem, ex pa-
rochus penitus eradicent; & si aliquem virum
aut mulierem huiuscemodi sceleris sectatorem
invenerint, turpiter de honestatum de parochiis
suis euciant. Ait enim Apostolus (ad Titum
3.) Hereticum hominem post primam & secun-
dam correptionem devita: sciens quia subver-
sus est, qui huiuscemodi est. Subversi sunt, & à
Diabolo captivi tenentur, qui relicto creatore
suo, diaboli suffragia quarunt: & ideo tali peste
debet mundari sancta Ecclesia.

Hæc prima pars Canonis est, quæ nec
luce, nec confirmatione alia indiget ut
pote satis clara & certa: Et ex qua Tanne-
rus d. q. 3. n. 12. colligit crimen venefici-
iam olim à Foro imprimis Ecclesiastico
fuisse dijudicatum; id quod postea etiam
Ecclesiæ praxis non immeritò observa-
vit.

Sequitur pars altera. *Illud etiam non*
est omitrendum, quod quadam scelerata mu-
lieres, retrò post Satanam conversa, Damonum
illusionibus, & phantasmatibus seducta cre-
dunt & profitentur, se nocturnis horis, cum

Dia:

Diana Dea Paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum, equitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spacia intempesta noctis silentio pertransire, eiusq; iussibus obedire, velut domina: & certis noctibus ad eius servitium evocari. His verbis tota narratio criminis, & sectæ huius graphica descriptio proponitur: Falso sibi persuadebant hæ mulierculæ, quod cū Diana vel Herodiade equitarent, falso etiam, quod super bestias equitarer, quia veterinaria hæc erant Dæmones, ait Delrio *d. loco*, qui bestiarum formam assumerant: falso etiam quod crederent *veras bestias* posse tam exiguo temporis spacio adeò distitas provincias pertransire. Quid mirum si triplici mendacio tinctã persuasionem Canon reprehenderit, & hanc idololatriam & hæresin, verbis sequentibus damnaverit.

Sed utinam hæc sola in sua perfidia periissent, & non multos secum ad infidelitatis interitum pertraxissent. Nam innumera, multitudo, hæc falsa opinione decepta, hæc vera esse credunt, & credendo à recta fide deviant, & errore Paga-

*no um involvuntur, cum aliquid divinitatis,
aut Numinis, extra unum Deum arbitrantur.*

*Sequitur Decretum & constitutio,
cui simul adiungitur ratio & declaratio.
Quapropter Sacerdotes per Ecclesias sibi com-
missas, populo Dei omni instantia predicare de-
bent, ut noverint, hæc (quæ HÆC? nempe
quod de transvectione super veras bestias,
& de comitatu Dianæ & Herodia-
dis, & de earum dominio ac Numine di-
cta sunt omni ex parte & undiquaq; men-
dacia esse) omninò falsa esse, & non à divino,
sed à maligno spiritu talia phantasmata menti-
bus fidelium irrogari.*

*Siquidem ipse Satanæ, qui transfiguratur se
in Angelum lucis, cum mentem cuiuscunque
muliercula ceperit, & hanc per infidelitatem si-
bi subiugaverit, illico transformatur se in diver-
sarum species personarum, atq; similitudines, &
mentem, quã captivã tenet, in somniis deludens,
modo læta, modo tristia, modo cognitas, modo
incognitas personas ostendens, per devia quaq;
deducit, (hoc est fingit se corporaliter eas
per invios calles & varias semitas deser-
taq; loca deducere. Nam si verè per devia
dedu-*

an ex eo prob. poss. sep. deludi Sagas. 105
deduceret, iam sibi ipsi Canon repugna-
ret,) & cum solus Spiritus hoc patitur, infide-
lis mens hoc non in animo, sed in corpore eveni-
re opinatur.

Dicit Canon, solus spiritus hoc patitur: Nā
non poterant istæ mulierculæ, nisi in
somnia, talia perpeti nec possibile erat
quod notandum à Diabolo illa re ipsa exhi-
beri (nempè Dianam aut Herodiadem Nu-
men, aut veras bestias tam celeriter se moven-
tes) quæ simulabat. Necessarium itaque
fuit, hoc illis, perpetuò contingere appa-
renter, atq̄n cum possibile Diabolo sit,
mulierculas maleficas verè de loco in lo-
cum transferre, uti supra docuimus; Et ergò
quin quoad hoc maleficæ hodiernæ non
semper in Spiritu, sed etiam corporaliter
quandoque patiantur, non potest ne-
gari.

Ad confirmationem autem rationis
spectant sequentia. Quis enim non in som-
nis, & nocturnis visionibus extra se educitur
& multa videt dormiendo, qua nunquam vi-
derat vigilando? Quis verò tam stultus & be-
bes sit, qui hac omnia (scilicet, quæ nunquā

106 *Quaest. VI. De verò intellectu. Can. Epis.*
vigilantes viderant, sed viderant tantum
cum dormiebant: Atquin hodiernæ Sa-
gæ quandoq; , & quod ante ostendimus,
sæpe vigilantes viderunt, quæ à se facta
vel visa fatentur, quomodo enim adver-
sarii probabunt quicquid fatentur hodiè
sagæ, hoc ipsis in solo Spiritu accidisse,
atq; ita dormientibus?) quæ in solo spiritu
fiunt, etiam in corpore accidere arbitretur? cum
Ezechiel Propheta (cap. 1. 2. &c.) visiones
Domini in spiritu, non in corpore vidit, &
Ioannes Apostolus Apocalypsis sacramentum,
in spiritu, non in corpore vidit & audivit, sicut
ipse didicit, statim inquit (Apocalyp. I. v. 10.)
Fui in spiritu, & Paulus (2. Cor. 12.) non au-
det dicere se raptum in corpore.

His deniq; subiungitur conclusio Can-
onis, in qua definitio repetitur, & ex-
tenditur. *Omnia itaq; publicè annuncian-*
dum est, quod qui talia (qualia scilicet hæ-
mulierculæ Dianianæ, de quibus Canon
agit, & qua his similia, credebant, quod ta-
men non ad omnia quæ ipsæ credebant,
sed ad quædam referendum est, quæ ni-
mirum credebant, & erant verè hæreti-

ca.

ca. Vide eleg. *Delrium d loco.*) & his similia credit, fidem perdit, & qui rectam fidem in Domino non habet, hic non est eius, sed in quem credit, id est, Diaboli. Nam de Domino nostro scriptum est (Ioan. 1. v. 3) Omnia per ipsum facta sunt. Quisquis igitur credit posse aliquid fieri, aut aliquam creaturam in melius aut deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso Creatore qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, procul dubio infidelis est, & pagano deterior. Ita Canon.

Variè autem & à variis auctoribus Canon ille explicatur, de quo fusè & doctè videbis *Delrium l. 5. sect. 16. ferè in fine.* ubi quidem ipse, ut cum aliis brevius & undiquaq; ab hoc Canone se expediat, arbitratur quædam illi esse vel à Burchardo vel ab aliis inserta, quæ Concilii Ancyranini non sint, adeoq; putat *Delrio* hunc Canonem ex parte vel nullius vel dubiæ auctoritatis esse, quod ipse rationibus non inelegantibus persuadere conatur *d. loc.*

Verum de hac re sanè gravi & difficiliter ac contrarium iudicavit *Tannerus*
supra

108 *Qu. VI. De verà intellectu. Can. Epif.*
supra citato loco, qui existimat huic decreto
Ecclesiastici Canonis auctoritatem de-
rogari non posse, quod his rationibus
probare voluit:

I. Quia Canon hic corpori juris Ca-
nonici, & iam olim ab antiquo, & novis-
simè à Gregorio XIII. recognito, & ap-
probato, ita insertus est, ut nullo verbo
aut signo, quod in aliis supposititiis fieri
solet, ei Canonis Ecclesiastici auctoritas
abrogetur.

II. Quia glossæ, aliisque Canonistis
& interpretibus ibidem ita receptus est,
ut nec unus quod sciam Canonista eum
repudiet, quem ita etiam, uti diximus,
recipiunt *Burchardus*, *Navarrus*, nec
Theologi hætenus eum repudiârunt; Sed
defendit recens etiam *Suarez tom. 1. de res-
lig. lib. 2. de superstis. cap. 16. num. 26.* nec du-
bitant *Vasquez ad 1. p. S. Thom. disput. 142.
c. 2.* & *Valentia disp. 4. q. 2. pun. 2.* Durû est
autem in materia propriè Canonica cõ-
cernente, à communi Canonistarum o-
mnium cæterorumq; Doctorum senten-
tia recedere.

III. Idem Canon prima etiam origi-

he sua maximæ & vetustissimæ auctorita-
tatis esse comprobatur; cum sit vel ipsius
Concilii Ancyrani i. ut *Gratianus* & com-
muniter *Canonista*, & *Doctores* in Decreto
ibidem notarūt, non quidem unus ex or-
dinariis eius Concilii Canonibus, sed ex
quadam appendice, seu generali Decre-
to ab eodem Concilio edito, ut referunt
Binius tom. 1. Conciliorum (ubi etiam Con-
cilium illud Ancyranum refertur appro-
batum à Concilio Nicæno) & *Caranza*
in summa Conciliorum, sub finem Concilii An-
cyrani, ubi refert, id approbatum à Syno-
do Trullana *cap. 2.* vel certè sit *Damasi Pa-*
pæ, è quodam Concilio Romano, ut sen-
tiunt *Baron. An. Christi 314.* & *Binius loc. ci-*
tat. Quandoquidem prorsus similia legū-
tur in vita *Damasi Papæ*, quæ extat Romæ,
in pervetusto de vitis Sanctor. Codice S.
Mariæ Major: ubi postquā reliqua relata
essent ex Synodo Rom. in qua *Damasus*
Macedoniū & *Appollinarē* damnavit,
adiungitur, anathematizatos in ea Syno-
do esse, maleficiis, superstitionib. & incā-
tationib. serviētes: ac simul, ne quis alio
hoc

hoc trahat, expressa fit mentio eaturæ mulierum, quæ putabant, se nocturno silentio, cum Herodiade, & universa multitudine mulierum, super bestias equitare, & multa terrarum spatia peragere, ut refert recens quædam annotatio Gregorianæ editionis Decreti. Et fieri etiam potest, ut Canon ille à Concilio Ancyrano dudum editus, denuò quasi renovatus, & ad praxin revocatus fuerit Decreto Damasi, & benè *Suarez loc. citat.*

IV. Accedit, quod de mulieribus illis eadem habentur *tom. 3. Augustin. lib. de spiritu & lit. ca. 28.* qui etsi non sit Augustini, sed authoris non paulo recentioris, est tamen liber doctus & pius, ut censet Bellarminus *lib. de scriptoribus Ecclesiasticis in Augustino:* & multo verisimilius est, hunc auctorem ex illo Decreto partem descripsisse, quam contra,

V. Deniq; nullum est firmum argumentum, quo probetur, Canonem illum supposititium esse, imò nullū ferè aliud, quam quod à materiæ in eo decisæ & assertæ inconuenientia noviter à nonnul.

is desumptum est, quod argumentatio-
nis genus ad convellendam antiquorum
scriptorum, & antiquitus receptorum
authoritatem, & per se odiosum, & sæpè
fallax, & hoc loco importunum infirmū-
que est; cum sine ullo absurdo illius do-
ctrina rectè explicari & defendi possit.

Hasce rationes *Tannerus* ordine re-
censet, quas tamen *Delvium* prævidisse
ac eadem removisse, cuius analyticum
eius *Commentarium citato loco* legenti sit
manifestum, equidem quis negat etsi *Gra-
tiani* decretum à Sede Apostolica recep-
tum sit, ita tamen receptum esse, ut fides
dictorum penes auctorem sit, & tanta sit
eorum Canonum, quos in medium pro-
ducit, auctoritas, quanta est fontium un-
de Canones illi manarunt: nec enim
quisquam eorum, qui jus Ecclesiasticum
vel à limine salutavit, potest ignorare,
multa in Decreto haberi, quæ postea De-
cretalib. Sexto, Clementinis, & Extrava-
gantib. abrogata fuerunt, nonnulla quo-
que sunt à *Gratiano* per errorem inserta,
quæ cum veritate pugnare deprehen-
dun-

312 *Qu. VI De verò intel. Can. Episc.*
duntur, quæ nihil nunc necesse est recen-
sere: Notarunt ea Viri docti & Catholici,
ac præsertim non uno loco *Anton. Au-*
gustin. in opere Dialogorum de emendatione
Gratiani.

Quod verò iste Canon *Concilii Ancy-*
rani sit & non *Damasi Papa*, communis o-
pinio est, à qua nec *Delrio* se patitur avel-
li, & ad *Baronii* argumenta benè respon-
det, quod enim eadē apud *August. tom. 3.*
lib. de spiritu & anima c. 28. totidem ferè
verbis legantur, augeat suspicionem *Da-*
masi non esse hoc decretum de muliercu-
lis, sed recentius; nam liber ille non est
Augustini, sed alterius nec tam docti, nec
tam antiqui. Nec *Augustinus* subtrivisset
Damasi esse piæ recordationis sanctio-
nem.

Cæterum quicquid sit, cum sine ullo
absurdo *Canonis* huius doctrina rectè ex-
plicari, & cum nostra sententia, de *cor-*
porali delatione Sagarum ad sua illa conventi-
cula, benè conciliari possit, proinde ad-
versariorum respectu parum interest, de
illius auctore & auctoritate multis contem-
dere,

ere, cum de vero sensu & interpretatione
inter Catholicos iam constet; Sufficiet
itaq; hic nobis, quod adversarii nil quicquam
argumenti ex eo desumere possint,
ad probandum, striges nostri temporis
à Diabolo, ad conventicula illa magica,
quantumvis diffita non transferri.

Id vero, quod de reali translatione sa-
garum diximus, cum definitione Cano-
nis citati non repugnare, ita declaratur.
Mens enim & intentio Canonis eò mi-
nimè spectabat, ut definiret, an mulieres
illæ re ipsa ad nocturna illa conventicula
à Diabolo deferrentur; sed an eo modo
deferrentur, quo mulieres illæ deferri se
iactabant, in ipsius Christianæ fidei per-
niciem & contumeliam: Nimirum pa-
lam affirmando, se veluti ad divini cuius-
dam numinis commercium ac societa-
tem adscitas, non à malo Dæmone rap-
tatas, nec eo comite deductas, sed Diana
Dea olim paganis celebrata sive Hero-
diade (ad Divorum itidem felicitatem e-
vecta) evocante ac honorifice ducente,
bestiis quibusdam, ad hoc servitium di-

H

winis

vinitus destinatis, inequitanter, multas terrarum spatia peragrarè, noctesq; cetas in eius, sive Dianæ, sive Herodiadis servitio religiosè consumere.

Id quod enim alii quam plures, inquit Canon, impiè credant, paganorum errore impie involvuntur; aliquid divinitatis, aut Numinis extra unum Deum arbitantes: cum tamen hæc prorsus sint falsa: eaque phantasmata, nõ à divino, sed à maligno spiritu proficiscantur: qui in somnis variis modis homines, præsertim mulierculas eiuscemodi, iam antea per infidelitatẽ sibi devinctas, solet deludere. Quod fit, ut cum solus spiritus eiusmodi phantasmatum illusionem patiat, mens iam illa infidelitate impiè præoccupata, ea non in animo, sed in corpore evenire opinetur.

Sed & aliorum etiam hominum nullus est, qui non plurimis visis & phantasmatibus in somno quandoq; deludatur; neq; tamen quiquam tam stultus est, qui hæc omnia (in somniis scilicet visa,) quæ in solo spiritu fiunt, etiam in corpore accide

an ex eo prob. poss. sap. deludi Sagas. 115
cidere arbitretur. Neq; verò vel ipsorum
etiam Prophetarum & Apostolorum,
speciatim, *Ezechielis, Ioannis, & Pauli* di-
vinæ visiones & raptus in corpore, sed in
mente acciderunt: quanto ergo minus,
mulierculas istas, utcunq; divini spiritus
familiaritatem jactent, ipso etiam corpo-
re verè à divino quopiam Numine, in a-
lias terras rapì credendum est.

Palam itaq; omnibus denunciandum,
eos qui *talia, & his, quæ à mulierculis istis im-
piè iactantur, similia* credunt, fidem perde-
re, ac in Diaboli potestatem transire. U-
nus est enim Deus, & Dominus, per què
facta sunt omnia. Quisquis ergo credit,
aliquid fieri posse, aut creaturam ullam
in aliam speciem, sive similitudinem pos-
se transmutari, ab alio quopiam Numi-
ne, præterquam ab ipso unico Creatore
cæli & terræ, infidelis, & quia à vera fide
Apostata, pagano deterior est.

Hactenus *Canonis sententia,* quam ita
etiam communiter tradunt Doctores,
speciatim Turrecremata *in illum textum*
art. 3. Abulensis in 6. 13. Gen. q. 354. Sylvester

116 Qu. VI. De vero intellectu. Can. Epis.
v. Heresis. 3. Suarez tom. 1. de relig. l. 2. de su-
perstit. c. 16. fin. & Delrius dicto lib. 5. sect.
16.

Atq; hanc esse ipsissimam mentem, &
quasi paraphrasin *Canonis* illius, quo ad
posteriorem illam partem, ex ipsis verbis
Canonis aperte intelliget, quisquis hanc
interpretationem cum ipso *Canone* vo-
luerit conferre: Præsertim quando in eo
tam aperte *Diana*, paganorum Deæ, fit
mentio; simulq; dicitur, muliercularum
illarum, aliorumq; similium persuasio-
nem, fuisse cum *perfidia* & *infidelitate con-*
iunctam, & errorem paganorum involuisse,
cum aliquid divinitatis aut *Numinis* extra
unum verum Deum arbitrarentur. Item cū
in ipsa definitione *Canonis* asseritur, talia
phantasmata non à divino, sed à maligno spiri-
tu mentibus fidelium irrogari. Ubi vides de-
finitionem *Canonis* eo non spectare, ut
ea translatio quoad substantiam habeat-
tur phantastica: sed ut à divino aliquo e-
iusmodi spiritu profecta non credatur.
Nec usquam asseritur, translationem ve-
ram à Diabolo nunquam fieri, sed non
fieri

fieri ab aliquo Numine gentilitio uti se-
cum fieri mulierculæ illæ palam gloria-
bantur. Quæ proinde tamen quoad ip-
sam substantiam criminis, ipsorumq; et
iam diabolicorum conventiculorum im-
piam celebrationem, cum nostris strigi-
bus planè convenirent; tamen ea gloria-
tione & sacrilega iactatione alieni *Numi-
nis* à nostris differebant: tamen nostræ
quoq; striges cum unius veri Dei fidem
abiurent, & Dæmonis cultui ac venera-
tioni se se addicant, utique alium quoque
Deum, nempe Diabolum ipsum, sibi pro
numine constituent: sed quem tamen
palam velut Deum profiteri & iactare nō
audent.

Unde quamvis quædam sint similia
mulierculis illis cū nostris strigibus, attra-
men in præcipuis, maximè quæ sunt fun-
damenta & bases *dicti Can. Episc.* discre-
pant; itaq; rectè sentiunt illi, qui istum
Canonem volunt non pertinere ad eas, de
quibus nunc agimus, striges; quæ est pla-
nè communis gravissimorum tam *lcto-
rum*, quam *Theologorum* sententia, quos

H ;

citat

citat Delrio. d. l. 5. sect. 16. circa finem. Quae ratione verò ex dicto *Canone* concludi possit, Sagas quoad corporalem translationem *sapientius* deludi, non satis exputo; Dicit quidem Tannerus d. q. 3. n. 17. *Canonem* in modo Diabolicæ deceptionis explicando, eam rationem inire, qua ipsa etiam translatio phantastica esse significetur: potuisset enim, ait Tannerus, alias *Canon* dicere, transferri quidem illas subinde, at non à divino, sed à maligno spiritu, Dianæ aut Herodiadis speciem assumente: Verum illud nec definitur, sed tollit ut ratio & modus facilis rem definitam explicandi additur, qui ut plurimum fortassis etiam in illis mulierculis à Diabolo fascinatis locum habebat: Hæc Tannerus: Equidem argute, sed ad mentem verbaq; *Canonis* minus apposite, quod vel ex illis patet, quæ supra ad verba *Canonis*: *Cum solus spiritus hoc patitur*: notavimus, nimirum necessarium fuisse, quoad sectam istam muliercularum, de quibus est sermo, hoc illis perpetuò contingere apparenter, nec enim possibile erat à Diabolo illa re ipsa
exhi.

an ex eo prob. poss. sep. deludi Sagas. 119

exhiberi, quæ simulabat, nempe sicuti dixi, Dianam aut Herodiadem Numen aut veras bestias tam celeriter se moventes &c. Igitur quod ad hanc translationem attinet, non deciditur quid Diabolus facere possit, sed quid de facto cum istis mulierculis egerit, quæ non poterant, nisi in somnis, talia perpeti, nec nunquam hæc revera illis contingere. Sed de hac quæstione plus satis: pergo ad ea, quæ magis ad forum *ICTorum* pertinent.

QUÆSTIO VII,

*An unius Sagæ denunciatio, absque
iudiciis aliis, sufficiat ad torquen-
dam personam denuncia-
tam?*

Est hæc de *Nominatione Complicum* gravis ac ferè præcipua difficultas, ex iis, quæ hodie circa processum adversus *Sagas*, in quæstionem veniunt; & occurrunt hac de re tres quæstiones principales, 1. An unius nominatio per se sit iudicium sufficiens ad torturam? 2. an

H 4

plu₃